



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum hi habitus supernaturales fuerint Christo necessarij ad  
elicie[n]dos actus supernaturales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

esse culpa. Erat tamen in Christo ille habitus Virtutis, qui in nobis, vocatur Pœnitentia, eiusdem speciei. Ratio est; Quia hæc virtus per se primò non respicit culpam propriam, sed culpam in genere, quatenus est iniuria Dei; ipsius enim officiũ est dolere de culpa, siue propria, siue aliena, quatenus est iniuria in Deum; & pro ea velle satisfacere: vel (vt in Beatis) detestari omnem iniuriam Deo illatam, & amare eius satisfactionem; vt dictum est in 3. parte Quæst. 85. Art. 3. Vbi etiam ostendimus Pœnitentiam non distingui à charitate, & Iustitia quadam erga Deum; quæ Iustitia videtur esse pars quadam Religionis. Nec obstat quòd Pœnitentia in Christo non possit habere actum pœnitendi; quia etiam in beatis non potest hunc actum habere, tamen verò est in ipsis; & alios actus habet.

Pœnitentia, vt in genere dicitur de iniuria Dei, est in Christo.

Non est in Christo Potentia peccandi.

Pari modo non est in Christo Potentia peccandi, quamuis in eo sit omnis illa facultas positiva quæ in nobis vocatur Potentia peccandi, ob defectum negatiuum illi annexum, qui est, non esse suam regulam, nec esse immobiliter annexum suæ regulæ.

DVBIVM II.

Verum hi Habitus supernaturales fuerint Christo necessarij ad eliciendos actus supernaturales?

9 Quisdam negant.

Respondeo, Quidam dicunt nec habitus, nec auxilia supernaturalia Christo fuisse necessaria: quia per solam vnionem cum Verbo, anima poterat omnes virtutum actus supernaturales efficere. Confirmatur; Quia modus operandi, sequitur modum essendi: sed anima ex vi vnionis cum Verbo, habebat modum essendi diuinum; atque adeò ipsum fontem omnium virtutum: ergo ex vi vnionis habebat etiam operationes diuinas virtutum. Sed hoc multis modis potest refutari.

Affirmatur.

Quare dicendum est, Christi humanitatem nõ minus eguisse virtutibus & auxilijs supernaturalibus ad opera bona, quàm nos egeamus: imò non minus eguisse auxilio diuino ad seruandam totam legem naturæ, quàm si Verbo vnita non fuisset. Ratio est, Quia vnio hypostatica non dabat vllas vires ad operandum, nec vllum auxilium aut concursum (hæc enim omnia sunt à totâ Trinitate) sed solum sustentabat naturam humanam.

Gratia necessaria ad seruandam totam legem naturæ, fuit humanitati Christi debita.

Aduerte tamen, Hoc auxilium, quod ad legem naturæ seruandam erat necessarium, fuisse omnino debitum humanæ naturæ ratione vnionis hypostaticæ, ita vt nullo modo potuerit negari; vt infra patebit. Illud autem, Modus operandi sequitur modum essendi, intelligendum est de modo operationis, qui sequitur ex eo, quod forma sit in materia, vel extra materiam: Item, qui sequitur ex eo quod natura existat in supposito diuino: qui tamen modus nihil est aliud, quàm moralis quædam dignitas, & estimatio operationis.

DVBIVM III.

Verum in Christo fuerint omnes Virtutes Naturales, id est, quæ natura viribus comparari possunt?

10 Affirmatur.

Respondeo; Fuisse, & quidem perfectissimè. Probatur Primò, Quia hæc virtutes sunt

quædam maximæ perfectiones animæ necessariæ, vt ipsa intra limites naturæ sit perfecta; nec vllam includunt imperfectionem, quæ vel beatitudini, vel vnioni hypostaticæ repugnet: vnde etiam cõmuniter tribuuntur Beatis à Theologis in 3. dist. 33. & insinuat Augustinus lib. 13. de Trin. c. 9. Secundò, Quia oportebat vt anima Christi, non solum esset perfectè disposita ad opera bona consentanea legi supernaturali & ordini gratiæ; sed etiam ad opera bona cõsentanea legi naturali, & ordini naturæ. Tertiò, Quia credibile est Dominum obuiisse illarum virtutum functiones; vt Temperantiæ, Fortitudinis, Iustitiæ; ergo ex habitu; nam hic modus operandi est perfectior. Nec obstat, quòd erant naturales, ac propterea nõ videantur meritorie. Quia erant meritorie, tum ratione dignitatis Personæ, tum ex relatione ad finem supernaturalem. Nec impeditur simul operari per virtutem naturalem & supernaturalem circa eandem materiam. Quarto, Quia Christus habuit humanam scientiam: ergo & humanas virtutes.

Christus obuiit actus virtutum naturalium.

Dices, Cõtinentia, quam ponit Aristoteles, nõ videtur fuisse in Christo: nam coniuncta est motibus intemperantiæ. Respondeo; Quoad substantiam suam, in Christo fuisse; nam non distinguitur specie à virtute Temperantiæ: est enim Temperantia in statu imperfecto; scilicet quæ nõdum subegit omnes intemperantiæ motus. Sed hæc imperfectio in Christo non fuit; quia omnes virtutes in statu perfectissimo & heroico habuit. Quo modo autem Magnificentia & Liberalitas in Christo Domino fuerint; Vide D. Thomam ad 3.

Fuit in eo Cõtinentia.

DVBIVM IV.

Verum à principio Conceptionis habuerit hæc Virtutes Naturales?

Respondeo, Habuisse, idque per infusionem. Probatur Primò, Quia Christus à principio fuit omninò perfectus secundum animam, vt passim docent Patres: & habuit omnes animæ vires optimo modo conformatas, & vtrumque appetitum perfectè subiectũ rationi. Atqui hæc optima virium dispositio, & appetituum cum ratione conformatio, fit formaliter & intrinsecè per hæc virtutes, & habitus connexos. Probatur Secundò, Quia Adam à principio habuit hæc virtutes animæ infusas; & pariter omnes beati in patria: ergo multò magis Christus: tum, quia secundum animam beatus erat; tum, quia principium omnis perfectionis humano generi institutus erat. Nec obstat quòd Deus per solam externam prouidentiam & assistentiam potuerit efficere vt appetitus numquam contra rationem moueretur: quia perfectiori modo hoc fit per intrinsecã dispositionem, & conformationem; ad quam necessarius est virtutis habitus, sine quo, appetitus non fuisset intrinsecè conformatus rationi.

11 Affirmatur.

Adam & Beati habent ab initio hæc virtutes infusas.

Dices, Præstantius est habere virtutem à se, quàm ab alio: ergo Christus comparauit hæc virtutes suis actibus; non autem accepit infusas extrinsecus. Respondeo; ob hoc argumentum quidam putant Christum in momento suæ Conceptionis, eliciuisse omnes actus omnium virtutum; & per hos, eas comparasse. Sed quamuis hoc non

12

Christus non elicit omnes actus virtutum naturalium in primo instanti suæ Conceptionis.